



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testibus. Consilium CIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

nulla ex parte sunt plenæ aut semiplenæ: nam repetitio recollectioque trium testium proditorum deponentium, aliter quàm Notarius prius scripserat, facit ut etiam conjuncta trium de perfecta conventionē depositio semiplenæ probationis vim non habeat; neque ob eam defectu possit iuramentum in supplementum probationis, *Card. in c. Veniens 2. sub fin. De test. Felin. in c. praterea, nh. 11. De test. cogen.* præsertim quòd, ut supra dictum est, alijs integris testibus coadjuvetur posterior dictorum testium depositio, *Relin. in d. c. Cum Ioannes; & testes ab Actore novissimo loco producti nihil deponant, quod articulum principalem conventionis perfectæ vel non perfectæ contingat: & potissimum quòd ipse Reus proponat, & in eo ubique perseveret, conventionem conclusam non fuisse ad nonaginta quinq; florenos, & nemo testium unquã aliquid de eo dixerit. Ita ut omnibus rite perpenis nihil hæsitandum videatur, quin etiam sine delatione iuramenti Reo faciendâ, quia scilicet Actor nihil præstitit, *cap. fin. De iuratur.* Reus sit ab impetitione Actoris absolvendus, & Actor in expensis 8 condemnandus. † A qua quidem expensarum condemnatione averti non debet Dominus Iudex commiseratione tenuitatis ipsius Actoris; nam precibus clamitolorum illachrymari non oportet Iudicem, *l. Observandum De offic. præsid.* sed magis eum argere evidens illius calumnia, & captatio; dum pro suo commodo non acceptatam oblationem Rei, in convivio postea ex eventu commodam sibi ratus acceptat, & inde velut ex contractu perfectè absoluto obligationem contra propriam conscientiam proponit.*

De Testibus.

S V M M A R I U M.

Testibus instrumentarijs an contra Notarium credatur.

1. Societas est inter virum & uxorem.
2. Vxor marito legare potest.
3. Legans rem cum alio communem, partem suam tantum legasse præsumitur.
4. Instrumento publico standum.
5. 7. Notario pro instrumento, an testibus contra instrumentum potius credendum sit.
6. testes testamentarij testimonium dicunt cum testamento advenit.
8. Affines an sint idonei testes.
9. Testes inuites pro monasterio, quando sint monachi de monasterio.
10. Testis vitas fidem minuit.
11. Testis qui prudem domesticus fuit an sit idoneus.
12. Familia impensus favent dominis suis.
13. Confessio extrajudicialis terti non obest.
14. Testamentum etiam in extremis fieri potest.
15. Testamentum ad interrogationem factum quando valeat.
16. Maritus baluditis potest vxoris supremum iudicium provocare.

17. Testamentum minore solemnitate fieri potest in acutis morbis.
18. Legatio causa adiecta non restringit.

CONSILIVM CIX.

NON pauca primo conspectu occurrere videntur, quæ probabiliorem faciant intentionem Nicolai Ruelens Actoris, adversus Franciscum Hurtebize, in vindicanda medietate domus quam quondam Franciscus Hurtebize Rei patruus, stante matrimonio cum Vrsula vander Meere, præfati Nicolai matre comparavit: ex huiusmodi enim mariti acquisitione, quia in quaestu, seu conquisitu est, uxor pure societatis (quæ hodie ex moribus inter virum & uxorem est) medietatem acquisita dominus nacta est, *Chassan. ad consuet. Burgund. titulo, des droitz. & appar. aux gens mariez. §. 14.* quæ eadem mortua ad filium proximum unicamque heredem statim devoluta videtur, non obstante scripturâ, quam Reus pro testamento seu codicillo dictæ Vrsulæ profert: ob id quod multis vitijs scaterere videatur, aliterque in instrumentum publicum redactum sit, quàm contineat scriptura nuncupationis; tum quod adhibito notario non videatur solemniter passata; tum quod unus testium confessus dicatur testatricem Franciscum marito urgenti, domum legaret, respondisse, quod usum juris consuetudinarij seu patrij ei permitteret; quod & alij ex testibus eo tempore ex ore testatricis audisse deponunt; denique quòd plerique ex Domino Gregorio Regis se audisse testatrici fuisse, quòd quo tempore maritus de conficiendo testamento sollicitus erat. Vrsula adversa valetudine victa, integra mente non fuerit; ideoque potius de salute animæ ipsius tunc cogitandum fuisse, quàm de testamenti confectio; & postremò quod causa testamenti seu legati sit falsa ex persuasionem mariti, quasi magnum as alienum contraxissent Vrsula & Franciscus, quod tamen verum non fuit: his similibus alijsque rationibus intentionis suæ fundamenta aluit, & consolidat Actor. Ceterum quavis Reo in hac causa lucta videatur gravior; omnibus tamen pressis expensis probabilior videtur Rei causa, quodque huius controversæ medietatis devolutio sit extra causam intestatæ successionis: ita ut prædictæ consuetudinis ratio ac consideratio in intestata tantum successione obtinens, hic locum habere nequeat. † Nam ut iure 2 communi, *l. ult. Si quis aliq. test. prohib. l. ult. C. eod. tit. l. Vxor in princ. De leg. 3. l. Titia §. filia cum nubet De legat. 2.* ita quoque ex obtinente consuetudine uxor potest legare marito, & è contrario maritus uxori, *Iason cons. 112. Redemptorij vol. 1.* Testatam autem devolutionem ac successionem hic esse potiorē, ex eo constat, quòd Reus protulerit instrumentum publicum, manu publici Notarij conscriptum, subscriptum, & subsignatum, adhibitis omnibus ijs, quæ ad publici instrumenti substantiam & solemnitatem requiruntur; continens nuncupationem præfate Vrsulæ, quâ inter cetera disponendo in præsentia duorum testium & Notarij (quod ex obtinente in his Belgij regio-

nibus consuetudine sufficit, C. cum esse. Relatum De testam. marito legavit domum prædictam, hoc est medietatem sibi in ea competentem.

Nam qui rem sibi cum alio communem legat suam tantum partem legasse censetur, l. servile electione §. 1. De leg. 1. & utiliter marito propria sua medietas legata dici non potest, l. proprias. C. De leg. 1. cetera §. 1. De leg. 1. l. cum quis decedens in princ. De leg. 3. Atque ita cum instrumentum publicum hic proferatur, ei potius standum est, quam aliorum testium assertioni quovis modo ad subversionem instrumenti facienti. * Instrumento enim per tabellionem publicum & approbatum in præsentia testium confectum standum est, l. cum præstibus. C. De probat. cum contineat probatam probationem & veritatem apparentem, Bald. in l. Imperator, de statu hominum; faciatque rem, de qua agitur, pro manifesta haberi, c. Cum olim De verb. signif. Bart. in l. 1. in princ. De novi oper. nunt. trahatque secum eam præsumptionem, ut non tantum solemne reputetur, Bald. in cap. 1. §. si instrumentum De veteri feud. & in c. illud circa fin. De præsumpt. sed etiam verum. * Vnde Guido Papæ, decis. 340. in controversia illa questione, utrum testibus instrumentariis, an Notario credi debeat, contrarietate horum interveniente, ait pro Notario potius præsumendum esse contra testes, si Notarius bonus fidei est, propter officium publicum, quod præsumitur bene exercere, c. Ad audientiam de præscript. Alciat. in tract. De præsumpt. reg. 3. cap. 13. Cum itaque Actor personæ M. Francisci Blinckvliet nihil quod ad imminuendam ejus existimationem faciat, objecerit, & ejus Notaratum seu tabellionatum in controversiam non traxerit, nihil est, cur eidem instrumento non fletur; præsertim quod idem Franciscus in testem productus à Reo, deponendo per omnia se hujusmodi instrumentum conformet: & omnium maximè quod D. Ioannes vander Tympele vir equestriis ordinis multis & maximis magistratibus ac dignitatibus in oppido Lovaniensi fundus, testis dicte nupcipationi adhibitus etiam in testem productus idem testificetur. Neque ad rem facit quod D. Gregorius Regis quoque non sit productus super dicti testamenti recognitione; nam morte illius præmatura interveniente id fieri non potuit: cum alioqui generaliter necessarium non sit, super nupcipatione testimonio (quale est illud de quo agitur) post mortem testis testes testamentarios coram iudice producere, quando de nupcipatione testimonio publicum & solemne confectum est instrumentum: * testes namque testamentarii tunc cum adhibentur actui testandi testimonium dicunt l. Heredes palam §. pen. De testam. eccl. tempore officio suo functi dicuntur, Salic. in l. si non speciali c. de testam. & ibi Alber. in princ. Vtique adeo, ut quamvis nupcipationis testamenti probatio in testium memoria & fide consistere videatur, cum tamen de nupcipatione testimonio publici tabellionis tunc adhibiti manu confectum est instrumentum publicum, testium memoria non requiritur, neque aliqua alia testium productione aut examine opus est, sed per se statim fidem facit, ac probat, Bald. in l. 2. n. 1. Quæmad. testam. aper. Ita ut omnibus testamentariis testibus, & multo magis aliquot tantum ex

ijs ante vel post mortem testatoris mortis, nulla ex parte vacillare possit super testamento nupcipatione confectum instrumentum, gloss. l. 2. in v. publicum Quæmad. testam. aper. Bart. Bald. Ang. Salic. in l. 1. C. De testam. Sic, quod omnino in contrarium movere non debent aliquot testium per Actorem productorum testimonia, quibus pleraque contineri videntur, quæ contentis dicti instrumenti per omnia non conformia, imò potius difformia & repugnantia esse videntur. † Nam cum (ut obiter ante attigimus) difficulter admodum obtineat, ut credatur testibus etiam instrumentariis, qui se actui interfuisse fatentur, contra tenorem testamenti & fidem Notarij, & plerumque non nisi omnibus hujusmodi testibus testamento inscriptis tenori instrumenti contradicentibus & omni exceptione majoribus l. Optima in fin. C. De contrab. sup. Bart. in l. 1. §. si quis neget, Quæmad. testam. aper. imò ut ait Ioannes de Anania, conf. 97. in causa ista nu. 2. manifestissimè majoribus existentibus sit, ut vel levissima exceptio testibus reproborariis fidem derogeret, Bald. in d. l. Optima & in c. Cum Ioannes De fide instru. & omnium difficillimè, imò nullo modo credendum sit testibus non instrumentariis, reproborariis instrumenti publici, cum testes instrumentarii stant pro fide & veritate ejusdem instrumenti, Archidiaconus in c. si testes iv. q. 2. Bar. in d. §. si quis neget. nu. 13. Bal. in l. 1. nu. 27. C. De bon. poss. ses. tabb. Vtique adeo ut non sufficiat testes reproborarios in veritate idoneos & omni exceptione majores esse, nisi id quoque ipsum formaliter & positive allegetur ab eo qui reproborariis testibus utitur, Ang. in l. 2. §. diem, Quæmad. testam. aper. nu. 4. Alex. conf. 43. Visi & ponderati nu. 24. vol. 4. l. as. conf. 155. Difficultas huius cause, vol. 2. Steph. Bertran. confil. 248. Ex themate nu. 5. vol. 3. part. 2. Quia igitur pro parte Actoris nulloquam hoc positive allegatum est, merito vel ex hoc solo capite fides his testibus reproborariis detrahenda, & ea instrumento plenissimè adhibenda est: potissimum ex eo, quod pro parte Rei objectum, & satis probatum sit, testes reproborarios qui in specie Reo nocere videntur, omni exceptione majores non esse, * nam Gabrieli, Petro, Cornelio, & Gertrudi objeitur, quod sint affines, hoc est focer & sororij Actoris; quæ affinitas efficit, ut propter affectionem, quæ ex conjunctione sanguinis seu affinitatis oritur, præsumatur testimonium omni ex parte non esse indubitatum. Vnde dicit Angelus Aretinus, in §. 1. Instit. de grad. cog. l. as. d. conf. 153. Steph. Bertran. confil. 189. Non est credendum nu. 4. vol. 1. parte 1. in arduis causis (qualis est ista propter præsumptionem, quæ pro instrumento militat, & ubi per indirectum ad falsum detegendum agitur) consanguineorum & affinium testimonium omni exceptione majus non esse † Et in simili respondit Iason, confil. 124. Falsum sic se habet 3. vol. 1. quamvis singulorum monachorum aut canonicorum testimonium in negotio Ecclesiæ seu conventus sui generaliter non improbetur cap. Insuper de testibus: in articulo tamen reproborario, seu in reproboracione, si aliqua utilitas Ecclesiæ vel conventus consistat, non esse omni exceptione majus

maius nec ei plenè credi, *Archidia. XII. q. 2. c. In summa*: nam omni exceptione maius est cui nihil obijci potest, *Gloss. in cap. 1. in verb. maiores de consang. & affin.*

- 10 Henrico obijcitur paupertas & vitæ ac conditionis vilitas, quæ in gravi causa fidei testis multum detrahit, *l. 3. de testib. in Authen. De testib. §. 1. vers. sanctimus*. Quamvis interim de huius testis testimonio ex conditione personæ subvertendo nihil laborandum sit; cum nec deponat quicquam, quod instrumento testamenti contrarietur; & in eo quod testificatur solus ac singularis sit, *l. Iurisjurandi. C. de testib. cum nemo sit ex alijs testibus*, qui de aliquibus verbis in confessionem aliquam rei malè gestæ sonantibus inter Actorem & Reum prolati deponat. Bartholomæo obijcitur, quod tempore, de quo deponit, fuerit Actoris puer seu minister domesticus, vix dum natus annos quindecim: * nam licet domesticus seu mercenarius, qui olim domesticus aut famulus fuit, tempore autem depositionis non est, testimonium recipiatur, etiam de eo, quod actum est vel gestum, tempore quo adhuc domesticus erat, *cyn. & alij. in l. 2. C. de testib. Bart. in l. 1. §. si servus de question. in proposito* tamen aliæque simili ardua causa non recipiatur ad improbationem instrumenti publici; præsertim cum Notarius conditione & qualitate huiusmodi testem superet; ut ex facto consultus eleganter respondit Iason, *d. conf. 153. nu. 2. vers. duodecimo*. Neque sanè verosimile est, hunc adolescentem tempore depositionis tam formaliter potuisse habere eorum memoriam, quæ antea tempore conditi testamenti puer audierat, in actu, ad quem vocatus non erat, nec adhibitus. † Catharina obijcitur, quod fuerit famula domestica Vrsulæ: uti enim domesticæ huiusmodi ancillæ impenitus favere solent dominabus suis, *Alex. conf. 150. in causa & lit. vol. 5. Ioan. Bapt. verius conf. 156. in causa matrimoniali. nu. 9.* ita quoque earum liberis: sic quod non admodum magna sit horum testium integritas, quæ possit obfistere instrumento à fide digno Notario cum inscriptione integerrimorum testium confecto. Quod evidentius dicendum est, si expensis his, quæ testificantur demonstraretur in eorum testimonijs nihil aut parum esse, quod vel momentum ullum habeat, vel verosimile sit: nam de duabus declarationibus, altera videlicet D. Gregorij Regis, altera D. Ioannis vanden Tympele, qui deponunt, plerique omnes singulares sunt ex loco & tempore; quia Gabriel dicit se id audisse in monasterio de Iericho; Cornelius in foro vitulino; D. Franciscus in domo Hurtebize: sic quod propter vitium singularitatis plena fides his accommodari non possit, aut debeat. Et quamvis Gabriel ex loco ac tempore consentientem (cum tamen aliqua verborum discrepantia) habeat D. Carolum; quod ipsi audientibus D. Ioannes vanden Tympele dixerit, quod Nicolaum filium suum relinqueret in suo patrio seu consuetudinario iure (quasi scilicet his verbis Vrsula marito instanti ut legando ei domum, filio præriperet jus municipale consuetudinarium, contradixerit, nec sic, ut instrumentum haberet testari voluerit) tamen ex huiusmodi declaratione, nihil obturbatur prædictum instrumen-

tum;

Primum ex eo, quod huiusmodi extrajudicialis tertij confessio Reo obesse nequeat, *l. Cor-tuæ §. penult. de confess.* Secundò, quod ex triplex ejusdem D. Ioannis contraria asseveratio solemn- nis; prima in actu testandi, qui in dictum instru- mentum publicum cõjectus & redactus fuit. Superius enim dictum est, testes testamentarios testimonium dice- re etiam solemniter cum actu testandi specialiter rogati & vocati adfuerint, *d. l. Heredes palam §. fin. Salic. in d. l. Si non specialis, & ibi Alber. in princ. C. de testam.* Secunda chim in hac causa testis productus con- tenta instrumenti vera esse deponit; quemadmo- dum tertio etiam medio tempore valetudinarie productus sub juramento asseveravit: sic quod triplex huiusmodi sollemnis & jurata judicialis confessio omnino præponderare debeat extrajudi- ciali, etiam omnino antecedenti; sæpe enim fit, ut varijs ex causis nolint etiam probi extra judi- cium veritatem de re aliena fateri, *Felin. in c. Cum in rita. nu. 8. De testib.* Sed ne in aliqua etiam levi parumque curanda contrarietate tantum virium relinquamus, sic accipienda est hæc extrajudicialis D. Ioannis quocumque etiam loco facta de hac re declaratio, quemadmodum ordinariè productus ipse deposuit se audisse tempore testamenti ex Vrsula, quod Nicolaum suum filium decetero relin- queret in suo iure municipali: ut scilicet sub his verbis lateat inclusa exceptio domus marito ex- pressè legatæ, & in cæteris pure suo utatur filius; cui satis consonant verba dicto instrumento in- fecta.

Quæ ratio tamoveri possunt testimonia eorum, qui ex testatrice se audisse dicunt, quod filium per- mitteret juri patrio, exceptâ scilicet domo, de qua specialiter ad utilitatem mariti dilposuerat; præ- fertim, quod nemo eorum sit, qui apertè deponat testatricem de hac domo specialiter hoc dixisse: concilianda enim sunt testimonia potius quam contrarietas admittenda. Qui de declaratione Do- mini Gregorij Regis testificantur ad unum omnes ex loco & tempore singulares quoque sunt, nec quisquam est, qui cum uno vel pluribus se id ex eo audisse deponat; uti ex eorundem testimoniorum lectione ad oculum patet, & D. Advocatus causæ satis deduxit in scriptura exceptionum in testes. Et cum de duabus assertionibus D. Gregorij deponant, neutra etiam bene probata quicquam momenti hæc habet: † nam prior de morbo Vrsulæ, & quod non fuerit tempus testandi, sed potius cogitandi de salute animæ ad piam sollicitudinem boni sa- cerdotis pertinet; cum parochis plerumque sit, ac esse debeat prior animæ, quam testamenti cura, *C. cum infirmitas de penult. & remiss.* nihilque veter- etiam in extremo vitæ spiritu testamentum facere, *l. 4. de adimen. legat.* fierique possit, ut testator inter testandum obmutescat & vitam abruptat *l. Si is qui testamentum de testam.* sic quod satis sit, testa- mentum esse conditum, aut codicillos factos, vel legatum esse relictum, quod quam brevi temporis intervallo fieri possit, vel ex eo constat, nutu etiam relinqui posse legatum, *l. Nutu De leg. 3.* Neque ex eo, quod dixit magis idoneum esse tempus ad curandum animam significare vo- luit, non esse idoneum tempus ad testandum:

comparativus enim positivum includit; cum nemo idoneus sit ad sacra Eucharistiae perceptionem, cui mens non constat, c. *Omnis utriusque de panit. & remiss.* ut nec ad testandum, l. 2. *De testam.* Ita quod ad summum huiusmodi D. Gregorij declaratio vel ad illius sollicitudinem, vel reprehensionem diligentiae mariti referenda sit, non ad impugnationem testamenti, aut improbationem actus, cui ipse interfuerat, & cujus projecto subscripserat. Eoque pertinet, quod iidem testes deponunt eum declarasse, quod si videre posset hoc projectum, seu, ut Actor vocat, minutam, quod facile perspiceret, an aliquid ei detractum vel adiectum foret; tendit enim id non obsecrare ad agnitionem testamenti verè conditi: cur enim de adiectione aut detractione sollicitus fuisset, aut suspicionem aliquam concepisset, si nullum nuncupatum & ex nuncupatione scriptum fuisset, l. 4. §. *fin. de actio. empti l. fin. de collat. bon. l. 1. de her. vel act. vend.* Altera D. Gregorij declaratio, de qua solus & sic sine effectu probationis Gabriel deponit, est, quod ex ere mariti testamentum hoc conscripserit. Quod quidem etsi plenissime & indubitare probatum esset, nihil ad impugnationem testamenti huius faceret: nam iure permixtum est dicantibus testamentum posse legari, l. *Distantibus C. de testam.* si modo ipsi non scripserint quoque l. 1. & 2. *C. de his qui sibi ascrib. facit;* in proposito est tam ex practico solemniter instrumento, quam ex testium instrumentarium depositionibus constare, testatrici praestitum esse testamentum, eamque expressis verbis ultro, & ad interrogationem M. Francisci Blinckvliet declarasse eam esse suam voluntatem, non monosyllabam aliquam responsione per dictionem, ita, sed producta oratione ac voluntate distinctè declarata. † Quin autem valeat testamentum prius conscriptum ac testatori praestitum & ad interrogationem praesertim Notarij per simplicem etiam responsionem affirmativam nuncupatum, dubitatio nulla est, gl. & dd. in l. *Iubemus C. de testam. Alex. consil. 12. Viso instrumento lib. 1. Vdalric. Zas. cons. 3. n. 37. vol. 1. 10. Dilect. de arte testandi c. 1. tit. de hered. inst. latissime Laurentius Sylvan. cons. 54. vol. 1. concurrentibus praesertim tribus illis, quae ut ad interrogationem alterius conditum testamentum valeat ex Doctorum sententia, Bal. & Ias. in d. l. *Iubemus*, Phil. Corne. cons. 73. *Viso* vol. 1. & 161. *De duobus* vol. 4. Maria Socin. cons. 229. *Primo aspectu* vol. 1. Cast. in l. *Hac consultissima C. de testam. Lud. Roman. consil. 306. Proposita*, requirit Vdalricus Zasius, d. consil. 3. n. 37. Prius, quod eo tempore testatrix articulata loqui potuit, ut ex testibus instrumentariis constaret, secundò, quod ei fuerit animus testandi, quod ex eo deprehenditur, quod M. Franciscum specialiter vocari iusserit, & ut instrumentarij deponunt, M. Franciscum postquam advenisset interrogavit, an Notarius esset, eoque respondente, quod sic, eum iusserit absolvere quod cum D. Gregorio inceperat, & tertio, quod metu aut illicito modo ad sic testandum inducta non fuerit. Et quamvis dissimulari omnino non possit, mariti aliquo modo infestis (hoc enim est de quo non instrumentarij testes deponunt) ut hæc domus ei ab vxore legaretur, illicito tamen modo aut fraudulento id factum non est, sed per preces.*

† Criminosum enim non est, neque reprehensione dignum, maritali sermone ac blanditijs postremum vxoris iudicium provocare, l. *ut si quis aliq. test. prohib. l. ult. & ibi Bald. C. eod.* Nec marito adverteretur, quod una aut altera hora postea testatrix sit mortua; nam eadem vespere, quæ egrotare capit, mortua quoque est; ita ut non possit dici maritum studiosè expectasse augescens morbi inclinantis, que vitæ extremum momentum; cum de testamento in bonâ valetudine rarior soleat esse cogitatio; † & in acutis minimèque chronicis morbis, ut est pleuritidis aut pestis, nihil vetet testamentum fieri posse, & plerumque cum privilegio ac remissione solemnitatum, Bald. Salic. Ias. in l. *fin. C. de testam. Alexan. in l. Scribarios C. de militarij testam.*

Nec movere potest, quod de causa debiti proponitur: nam demonstratio illa de debito, legatum non coheret, hoc est legatum propterea præcisè factum non est, sed primum purè & absolute, adiecta tandem post absolutam orationem finali aliqua causa, seu potius impulsiva, ad solvendum debita. † Proinde quemadmodum legatum non restringitur, si testator leget Titio fundum ad utendum fruendum; censetur enim legata proprietates plena, l. *Species De auro & argen. leg. l. Donationes §. 1. De donat. & utrobique post. Frederic. de Sens. cons. 46. nu. 3.* ita quoque nec hoc casu restrictum aut limitatum aut à causa huiusmodi suspensum dici potest hoc legatum. Omnibus itaque revolutis, putamus pro testamento iudicandum.

De Testibus.

SUMMARIVM.

Testis pro duobus contraria deponens:

1. 4. Testis pro duobus diversa deponens quomodo puniatur.
2. Notarij scriptura presumptionem veri habet.
3. 7. Testis instrumentum contrarium quando illi deroget?
5. Testis dicto posteriori an priori stetur?
6. Testis in una parte falsus an in toto falsus praesupponitur?
8. Testes valetudinarij à quo examinandi.

CONSILIUM CX.

DVPLEX incidit quaestio circa testem contraria in iudicio sub religione iurisiurandi deponentem, qui quod prius per partem agentis productus affirmavit, postea per Reum etiam productus negavit; prior, an de falso criminaliter puniri possit? Secunda an propter falsitatem, quam inducit posterior depositio, priori testimonio fides detrahatur; an vero utriusque? * Prior quaestio dubitationem non habet, cum iure aperto decisum sit, in l. *Eos qui Ad leg. cor. de fals. l. Qui falso de testib. Bald. consil. 486. Licet assessores vol. 3. testem pro duobus diversa seu contraria testimonia perhibentem, penâ falsi puniendum esse: sic quod ad inducendum falsum in hac causa matrimoniali Waltrudis Appel-*